



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XII. Markgraf Ludwig gestattet dem Pfarrer zu Eberswalde frei Brenn- und Bauholz in den landesherrlichen Forsten, am 14. August 1325.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

XI. Herzog Rudolph von Sachsen verzeignet dem heil. Geist-Hospitale zu Eberswalde Gebungen, welche der Pfarrer Peter demselben vermacht hat, am 27. März 1322.

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Rudolphus, dei gratia Saxonie, Angarie, Westphalie dux —. Notum — esse volumus omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, quod ob dei reverentiam et ejus matris virginis gloriose, et in remedium nostrorum peccaminum nec non nostrorum predecessorum, proprietatem dedimus de quinque choris filiginis, sitis in nostris molendinis ante murum civitatis nostre Everswolde, et unum talentum denariorum brandenburgensium, situm in nostro molendino, dicto Hegermolne, et in presentibus donando appropriamus sancto spiritui et sue domui seu Hospitali in predicta nostra civitate Everswolde, pacifice et tranquille perpetuis temporibus possidendam, quos inquam quinque choros filiginis cum uno talento denariorum brandenburgensium. Dominus Petrus, Civitatis sacerdos vel Clericus, suis comparavit denariis et legavit testamenti nomine sancto spiritui, suorum quoque ob remedium animarum progenitorum. Ita tamen, quod Plebanus ecclesie parochialis dicte civitatis, actu ibidem existens, et sui successores omnes, unam missam sancto spiritui, seu in hospitali dicte civitatis singulis diebus in mane celebrabit, seu celebrare faciet et sui per consequens successores perpetualiter celebrabunt et celebrare facient missam narratam in domo seu hospitali suprascripto, nec non dictam annonam vel filiginem cum denariis predictis ipse Plebanus recipiet singulis annis et sui recipient perpetue successores. Nostro maturo habito consilio super eo, et nostrorum heredum ac fidelium nostrorum diligenter. Ut autem nostra donatio nostre proprietatis, facta mature et cum bono consilio, stabilis permaneat et inconvulsa, presentes literas conscribi fecimus et sigilli nostri appensione autentici jussimus roborari. Testes hujus rei sunt Honorabilis Vir Dominus Nicolaus, Prepositus Bernowensis, noster capellanus karissimus, Henniking de Alvenslewe, Henricus de Rochowe, Anno de Sydowe, Buffo de Mylow, Conrad de Britzk, Conrad Bogelfack, nostri milites, et quam plures alii fide digni. Actum et datum Berlin, Anno domini Millesimo tricentesimo vicesimo secundo, sexta Calendas Aprilis.

Aus von der Hagen's Beschr., S. 248.

XII. Markgraf Ludwig gestattet dem Pfarrer zu Eberswalde frei Brenn- und Bauholz in den landesherrlichen Forsten, am 14. August 1325.

In nomine domini amen. Nos Lodewichus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Comes Palatinus reni, Dux Bavarie, sacri Imperii Archicamerarius, recognoscimus per presentes, licet alias nemoribus nostris et in mericis, quod nulli ligna secare liceat, fecimus inhibere, tamen speciali gratia concessimus integraliter honorabili viro Plebano in Everswolde, quod ipse de prenomatis nemoribus nostris et mericis ligna ducere de nostra licentia potest et secare in propria sua necessitate ad comburendum et edificandum, quantum sibi sufficere videbitur et indigere. Igitur vobis omnibus mericis nostras penes Everswald habentibus mandamus et volumus seriose, ut prefato plebano ligna ad edificandum et cremandum ad usum suum proprium et necessitatem

secare permittatis et ducere e prefatis nemoribus nostris et mericis, quantum indiget et sibi fuerit oportunitum absque omnimodo emolimento et contradictione, quoniam hoc volumus irrevocabiliter perpetuis temporibus observari. Datum Everswaldis, Anno Domini MCCC. vicesimo quinto, in vigilia Assumptionis Marie.

Aus v. d. Sagen's Beschreibung, S. 250.

XIII. Der Rath zu Eberswalde überläßt den Klöstern der Dominikaner und Minoriten zu Straußberg und Angermünde eine freie Haus-Stelle zu Eberswalde, sofern die Mönche sich untadelhaft führen werden, am 17. September 1325.

Nos consules ciuitatis Everswolde, Prior totusque conuentus fratrum predicatorum in Struzeberghe ac Gardianus totusque conuentus fratrum minorum in Angermunde tenore prefencium recognoscimus publice protestantes, quod dicti consules ciuitatis Everswoldensis antedictis fratribus vnam aream in ciuitate Everswolde sitam pure propter deum maturo consilio erogarunt libere et quiete sine omni exactione perpetuo possidendam, si dicti fratres decenter se regunt et honeste, sicut fratres se regere tenentur, Et si nichil criminosi ac viciosi notabilis operis manifesti perceptum fuerit ab eisdem. Si autem, quod deus auertat, aliquid viciosi et inhonesti eorum famam denigrans perpetrarent, tunc sepe dicti consules structuram super illa area factam sine fratrum dictorum rixa soluere debent et area cum structura cedere debet in vsu consulum predictorum. Item condicio talis est adiecta, quod fratres aream eis datam nullomodo debent ampliari et sicut eis data in tali spacio debent quiete possidere. In huius evidenciam sigilla nostra sunt appensa presentibus. Datum anno Domini M^o. CCC^o. XXV^o., feria tertia ante mathei apostoli.

Aus einem alten Neustädter Copialbuche.

XIV. Markgraf Ludwig verkauft der Stadt Eberswalde seinen daselbst besessenen Hof, am 6. October 1326.

Ad perpetuam rei memoriam infra scripte, Nos Lodewicus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatiae Marchio, Comes Palatinus Rheni, Dux Bawarie, sacri Imperii Archicamerarius, recognoscimus et in uniuersorum volumus notitiam pervenire, quod fidelibus nostris et dilectis Consulibus atque uniuersitati civium in Everswolde vendidimus iusto venditionis contractu, pro viginti marcis argenti brandenburgensis et in perpetuum ipsis dedimus, Curiam sitam in civitate nostra predicta, que nostra fuit, ipsamque resignavimus per nostrum prefectum ibidem, speciale nostrum mandatum ad hoc habentem, sollempnitate debita et consueta, coram Iudice implicodato, pro tribunali sedente et coram septem scabinis. Renunciamus igitur dicte curie et Aree debita renunciatione nec non omni iuri, quod nobis ad eandem curiam competeat, Ita quod ipsi nostri Burgenses liberam